R. G. ADAMS

Questa libro composto di libretti
trentanove ha un gran valore.
Il suo piu gran pregio consiste nella
lettera di Cristoforo Colombo in lingua
Spagnola.



Thomas Randolph Adams

The John Carter Brown Library

GIFT OF

Thomas R. Adams

30

AD ILLVSTRISS. ET REV.[MVM]

D. D. ALBERTVM VALERIVM EPISCOPVM FAMAGVSTANVM, ET VERONÆ COADIVTOREM

In prauos huiuſce Bacchanaliorum temporis mores

CARMEN

BARTHOLOMAEI TORTELLETTI.



VERONAE,

Apud Hieronymum Diſcipulum Impreſſorem Epiſc.

M D X C V.

RPJCB

PANNONICÆ captum terræ, clademq; recentem
Acceptam, cum Threicij grauis ira Tyranni
Impulit armatas metuenda in bella phalanges,
Et gentem inuictam quondam aut dare terga coëgit,
Aut effudit humi, ſparſitq; cadauera campis,
Si quisquam,cuius mentem haud malus vrgeat error,
Verterit, & caſus animo percurrerit omnes,
Non equidem ſiccis oculis, luctuq; remoto
Crediderim tales habiturum in pectore curas:
Quandoquidem ingenti damno metus additur ingens,
Nam pars Auſtriadum,aduerſum cū proſpicit agmen,
Et tormentorum glandes, enſesq; recuruos,
Congreſſum (ſcelus) effugiens tremit icta pauore,
Nec decus ipſa ſuum, & virtutem pendit auitam:
Pars epulis acuit ferrum, vinique nocentis
Perpetuis gaudet deducere pocula menſis.
(Heu rerum ignarum vulgus) nec Marte ſiniſtro
Iam commiſſa malis deterrent prælia cœptis.
Hinc leges ſuperum, violataq; templa putarim
Poſcere crudeles pœnas, pietate relicta
Vana ſuperſtitio cum gentem infecerit omnem:
Propterea Italiæ trepida formidine motus
Horreſco reputans, videorq; inimica videre

Exitium noſtris afferre penatibus arma;
Nam ſi ſubdiderit victum Germania collum,
Tum nihil impediet, quin Barbarus ocior Euro
Tendat in has oras, camposq; exurat, & vrbes,
Et ſua delicias orbis ſub iura reducat.
Heu miſera Auſonidùm tellus, pulcherrima forma
Quam tibi obeſt, quantas in te armas ſæpè cateruas,
Quæ quondam immenſos hoſtes terraq;, mariq;
Strauiſti, dum cuncta neci daret Itala pubes.
Hic tamen ij, quorum peior ſententia menti,
Et mundi malè ſanus amor, malè ſuada voluptas
Vrget in omne malum, ad ſuperos cum ſpargere voces
Deberent, & rebus opem depoſcere Diuùm,
Accipiunt pecudum paruo diſcrimine mores,
Et vultum mentiti, & amictum corporis omnes
Lætitiæ indulgent vanæ per lata vagantes
Compita, & ad fœdam traducunt otia vitam.
Namq; hic Agricolam ſimulans, veſtemq; coloni
Indutus, ceu ſi veniat longinquus in vrbem,
Os verba in leuia, atq; auditu indigna reſoluit.
Is, dum fœmineos imitatur corpore motus
Longæ ætatis anus, impellit pollice fuſum,
Vel ficta obſcœnam prætendit fronte puellam.
Ille hominem ex cœtu fingens mandata ſequentum
Antiqua, & ritus Moſis, moreſq; ſacrorum,
Cum ritus obſunt illi, moreſq; ſacrorum,

Dat

Dat voces ore inſuetas, mutatq; loquelas.
Aſt alius (demens) alia ſub imagine in omnes
Se vertit partes, & ſaltibus aëra rumpit,
Impuriſq; pias dictis ferit impius aures.
Pars etiam pelle ex tenſa, lignoq; cauato
Educit ſonitum, qualis decet horrida bella.
Nec deſunt, qui Herebi furijs in veſtibus atris
Incedant ſimiles, cornuq; in fronte locato
Terrorem incutiant pueris, vultuq; maligno.
Sic quibus ætherium nomen, queis frontis imago
Diuinæ, decus hoc violant, choreiſq; vacantes
Prætereà, & lautis epulis, laticiq; Lyæo,
Non ſecus ac ſi ſint Epicuri de grege, viuunt.
Heu non ſic Turcæ languent, non barbara pubes,
Sed ſemet ferrum tergens pro vere futuro
Excitat ad bellum, atq; irridet talia geſta.
Tu vero VALERI, his oris quem fata dederunt
AVGVSTIq; tenere vices, oneriq; ferundo
Paſcendarum ouium cinctum ſuccedere mitra.
Quam mores damnas turpes, refugiſq; tueri
Inſanam gentem, & tecto te te abdis amato;
Socraticas quippe & chartas, & dogmata priſci
Perſcrutans æui, ſanctæq; volumina legis,
Quæq; Deo afflati Patres ſcripſere priores
Iucundos carpis fructus, animoq; rotundum
Aſſueſcis Diuum ſimilis percurrere Cælum;
Ex

Ex hoc, vt magnum pietas tibi candida nomen
Largitur, magnam capies laudemq́;, decusq́;
Et te ſublimem tollent ad sydera vates.
Atq; vtinam mihi dent ſuperi, licet inter olores
Egregios ſim ſtridula auis, tua dicere facta;
Sed me pauperies, varijsq́; exercita curis
Mens, dum per duros mercor vitam vsq; labores,
Et Patri, & domui conor ſuccurrere lapſæ,
Fundit humi, prohibetq́; ſacras accerſere Muſas,
Et ſtudio feſſas dulci coniungere vires.

F I N I S.

98-106-30

~~J595
N479s
V. I~~

J595
N479s
V. 1